NATIONIS GALLICÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI PUBLICA DECLARATIO DE ANNATIS NON SOLVENDIS.

Ex antiqvo Codice A. 1519. impresso,

In Bibliotheca Rudolphea Brunsvigæ Asservato.

PRÆFATIO.

CUm Evangelica veritas dicat, *nihil cum scandalo* fiendum esse: Subjungit tamen, quod *necesse est ut veniant scandala*. Sed imputet sibi, per quem venit *scandalum*, maxime *activum*. Qvia *passivum* vel *defensivum*, communiter non est in dolo nec in culpa.

Offensiones non posse evitari.

Cum autem *venerabilis Natio Gallicana*, & ipsius venerabilia ac honorabilia supposita, tam majora, mediocria, quam inferiora, *Constantiæ congregata, pro generali Concilio* inibi convocato, & debite congregato, pro deducendo in eo id, in quo *habent voces judicativas, consultivas, & querelosas*, secundum materias suppositas & relationes debitas, cogatur *respondere*, & apostolos, ad quos teneri posset, dare cuidam *interpositæ Appellationi*, pro parte *Magistri Joannis de Scribanis*, asserentis se *Procuratorem Fiscalem nomine Cameræ Apostolicæ* & sibi adhærere volentium: Pro ipsius Nationis honore, & *Conclusionis in ea habitæ*, ex qua oriri dicitur interposita Appellatio, *justificatione*, ac veritatis manifestatione, in responsione hujusmodi, & apostolorum petitorum datione, ordinetur *veritas*. Qvæ si *scandalum* generet apud aliquos, vel etiam alicubi, hoc *causam activam* præstantibus, non autem venerabili Nationi Gallicanæ, *defensivam* assumenti, suæqve & Ecclesiarum, ac monasteriorum, cæterorumqve Beneficiorum, apud ipsam portionem, necessitatibus prospicienti, adscribatur.

Jus votorum nationis Gallicanæ in Concilio Const.

Johannes de Scribanis, JCto, excepit in Concilio contra Gallorum sententiã de Annatis tollendis.

Galli suã de Annatis sententiam tueri laborarunt.

Veritatis fata.

CAP. I.

Historia variarum in Reformatorio Constantiensi consultationum de Annatis tollendis.

Historia disputationis Constantiensis de Annatis.

Decretũ Concilii Const. de Nationũ & Cardinaliũ deputatis, pro reformatione Ro. Ecclesiæ procuranda.

DEscendendo igitur ad materiam, noverit idem *Magister Joannes de Scribanis*, dominiqve *Cardinales*, ac eorum Collegium, & cæteri universi, qui tunc & nunc *pro generali Concilio sunt & fuerunt Constantiæ congregati*, fuisse *ordinatum*, quod *deputarentur de singulis Nationibus certi, qui cum deputatis dominis Cardinalibus* convenirent, *ad advisandum quæ essent reformanda in Curia Romana, tam in capite quam in ipsius membris*, & de modo pro futuro providendi.

Sicut factum fuit, & est, inter sic *deputatos Nationum*. Cum quibus fuerunt, & tunc erant Domini *Cardinales, Pisanus, Cameracensis, & Florentinus*.

Qvi Domini *Cardinales*, contradicentibus *deputatis Nationis Gallicanæ*, aperuerunt materiam *Annatarum*, & jurium ac minutorum servitiorum. Et, quantum potuerunt, fundaverunt, *eas esse debitas*. Adducendo in medium *rationes* & justificationes, quas per prius longe advisaverunt.

Discussione facta inter omnes, *validioribus rationibus*, & auctoritatibus, juris divini pariter & humani, demonstratum est, *non esse debitas*.

Et quamvis dedissent operam ad trahendum ad eorum opinionem quos potuerant: Inductione tamen facta de singu-

Cardinales in Reformatorio existẽtes.

De Annatis in Reformatorio disputatum.

Cardinales eas propugnarũt.

Ceteri Reformatores eas impugnarũt.

Plurium in Reformatorio suffragiis sunt rejecta.

singulorum deputatorum votis, longe major fuit pars, *quod non debentur, nec ulterius tolerari deberet.*

Conclusio à Cardinalibus negata.

Propter quod Domini *Cardinales concludere noluerunt*, sicut & in aliis fecerant.

Novi deputati in Reformatorio Const. pro Reformatione curiæ Ro.

Et sic fuerunt *primi* qui materiam promoverunt & aperuerunt. Unde *secuta sibi imputent*, & nulli alteri.

Novit etiam idem *de Scribanis*, Dominiqve *Cardinales*, & cæteri alii, *deputatos* fuisse certos *alios de singulis nationibus*, ad advisandum *de remediis*, & modo procedendi, & *providendi in exorbitantiis*, exorbitanterqve ac indebite factis, de præterito, *in Curia Romana* per olim *Johannem*, tunc *Papam*, & alios de tempore suo.

Relatio in Reformatorio facta de factis Papæ Johannis XXIII.

Inter quos fuit advisatum: Quod *Dominus Johannes* præfatus, & *Curia sua Romana* Apostolica, & Domini *Cardinales*, & eorum Collegii Camerarius, sive pro Camerario se gerens, à *beneficiis* Prælatorum & prælaturarum *vacantibus*, & qvoties vacabant, *etiamsi ter aut plures vacassent in anno*, pro qvalibet mutatione tituli, voluerunt habere & *exigere fructus primi anni* beneficii sive prælaturæ vacantis, & aliquando longe ultra: Et quandoqve *Papa* qualibet vice Annatas vacantes habebat, & *Cardinales* nihilominus partem mediam: Qvodqve *propter Vacantias* fuerunt quandoqve *privati Prælati, & translati inviti*: Et qvandoque *propter plus offerre*, sumtis aliis coloribus, assumti & alii prælati, qvi forte non fuerunt præferendi.

De officiis sacris vacantibus.

Ars officia sæpe evacuandi, dum Ecclesiastici inviti alio translati.

Damna hinc orta.

Ex quibus secutæ sunt strages, guerræ, scandala, etiam nondum sopita.

Conclusio Reformatorii Const. de annatis tollendis.

Et quia exorbitanter factum fuerat, & contra jus & justitiam, in oppressionem prælaturarum, ecclesiarumqve, monasteriorum, & beneficiorum, & etiam personarum quibus contigerat & ita factum fuerat: *Per eosdem deputatos* pluribus rationibus fuit *conclusum*: Non debitum & *esse tollendum de præterito*. Et per aliquos ex iisdem fuit dictum, propter easdem rationes & infra dicenda esse extendendum *ad futura*.

Decretum hoc communicatum.

Et super hoc fuit composita *schedula*, & inter eos *lecta*, &, sicut solet fieri, *communicata*, & deinde *ad Nationes singulas missa*. Saltem per Deputatos dictæ venerabilis Nationis Gallicanæ fuit relata in eadem atque lecta.

Lõgæ deliberationes de hac re.

Et communiter super ea *solenniter septem diebus deliberatum* successive, sciente dicto *de Scribanis*, Dominis *Cardinalibus*, collegialiter ac singulariter: Qvi etiam in hujusmodi odium & vindictam dixerunt, aliqvos notabiles Prælatos excommunicatos, contra rei veritatem, etiam ex ipsorum parte eorum nominibus non expressis: *Magistro Johanne Ponceti*, pro eorundem Collegio clerico & Promotore se gerente, qui se interponere Appellationem dixit, aliisqve Nationibus, & cunctis *Constantiæ pro generali concilio congregatis*, scientibus.

Conclusio de Annatis tollendis.

Et debite in ea *conclusum* fuit: De præterito, præsenti, & futuro *esse tollendum*.

CAPUT II.

Summa votorum ac rationum Reformatorii Const. quoad decretum de Annatis non solvendis.

Decreti Rationes in Reformatorio.

CAusa vero motiva, *rationesq; & jura*, recollecta, quantum fieri potuit, ex dictis diversorum, *qui in dicta natione deliberaverunt, & aliàs aperta* fuerunt, subsequenter exprimuntur.

Et juxta Gregorii responsivum oraculum, & concilii Lateranensis prohibitivum edictum, *initium & causam debendi istarum præstationum fructuum primi anni* Prælaturarum, Dignitatum, vel Beneficiorum vacantium, qui asseruntur debiti, & quos volunt exigere, diligenter inquirentes: *Privilegio, consvetudine, aut præscriptione non posse defendi*, certum est.

Recens Annatarum inventum.

Sicut fuit observatum, & de non vacantibus in Curia, secundum antiqui juris ordinem, nullum reperiri posse initium,

tium, præterquam *reservationem quandam temporalem*, primo per *Joannem Papam XXII.* factam, *pro certo passagio ultramarino*, & qvibusdam aliis necessitatibus suis, de omnibus dignitatibus & Beneficiis, *exceptis Abbatialibus.*

Johannes Papa 22. primus autor, initio seculi XIV. Finis ac scopus primi illius instituti.

Propter quod servatum est *in Anglia* usque ad hodiernum diem, nihil sedi Apostolicæ solvere, pro hujusmodi Abbatialibus fructibus Abbatiarum vacantium.

Abbatiæ Episcopatus primitus etiam immunes ab hoc onere.

Excepitq; Episcopales, & etiam alias supra, majores, per expressum. Certasq; postmodum fecit super illis declarationes.

Deinde, postmodum *nonnulli Romani Pontifices*, ipsius successores, etiam certis temporibus similes fecerunt *Reservationes*, certis causis expressis. Qvas Clerus, Principes, & populus *aliquo tempore tolerarunt.* Sed postmodum nimium gravati ex iis, in aliquibus regnis & provinciis, *recusaverunt solvere.* Prout fuit factum *in Anglia*, & qvibusdam aliis locis. Eo quod per modum facultatis *toleratum* fuerat.

Similia onera à sequentibus Pontificibus imposita.

Tolerata brevi.

Repudiata ab Anglis aliisq; jure recusata isthæc onera.

Et sic, qvantumcunqve eis placuit, *licite* potuerunt atqve possunt *recusare.* Maxime *quia cessant causæ*, quæ tunc erant: Eo quod non sit *passagium ultramarinum*, vel aliud virtuosum ex talibus pecuniis.

Communi Nationũ consensu repudianda.

Et quia *Italiæ*, *Galliæ*, *Alemaniæ*, & *Angliæ partes*, per Dei gratiam sunt *unitæ* ad invicem, propterea tolerari non debent. Cum propter divisionem, temporibus retroactis, aliqvantulum diutius fuisset toleratum.

Contradictum antea exactioni sæpius.

Nec sine reservatione aut *contradictione*, quæ impediunt & cessare faciunt exactionem, reperitur talis præstatio *decem annis* continuata. Et quando erunt talia, *præscriptionem non inducunt*, maxime de supremo ad inferiores, & minus *consvetudinem:* Ut est Juristis notum, & infra expressius dicetur.

De vacantibus vero & *fructibus primi anni majorum Prælaturarum, Abbatialium* videlicet, *Episcopalium*, & supra, nullum aliud initium fuisse invenitur, quam *voluntaria & gratuita oblatio* quorundam, qui in discordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem ecclesiam, dum prosequerentur in curia, per appellationem ad eam factam, per eum, qui obtinebat finalem victoriam, & promovebatur sive eligebatur.

Et talis oblatio & *gratuita datio*, juxta vulgare Italicum, dicta fuit *servitium*: Et secundum Alemanos *propina* dicitur. Et dicta fuerunt *servitia communia*: Qvia communiter inter eos dividebantur, eo quod singulos, quibus dare volebat, non convocabat. Et singulis dare fuisset nimium onerosum his, qui tunc agebant in publico Consistorio.

Donum Episcoporum gratuitum, dictum servitiũ, Propina, Servitia communia.

Sed postmodum *deductum est in Consistorium secretum.* Qvod tamen fuerat & *Simoniacum* vel multum de *Simonia suspectum*, & species mali crudelis, etiamsi prætextu consvetudinis: Tum, quia *ante* vel *post promotionem* ad hujusmodi dignitates, *aliquid* hujus prætextu *dare* vel *recipere*, secundum sacros canones est etiam *prohibitum*: Tum quia *alienatio* est *talis oblatio*, datio, vel *obligatio*, quam etiam facere non potest talis electus vel promotus.

Obligatio facta Romæ ad magnam auri summam.

Et successivo tempore, volentes gratuite dare, & voluntarie conferre summam certam, vel aliquid: Eo quod tunc nulla certa taxa esset in Camera: Qvo- ad aliqua *ad tertiam partem valoris Episcopatus*, monasterii, aliqua vero *ad mediam*, in aliquibus etiam *taxa dictum valorem excedit*, prout in libris Cancellariæ scriptæ sunt, & ultra, *pro minutis servitiis*, *compulsi* sunt *dare*, & offerre, ad solvendum, se & monasterium, sive etiam *obligare*, per suarum literarum retentionem.

Obligationum illarum vincula.

Et novissime additum est, & *compelluntur* per eandem retentionem *se obligare* ad id, quod reperiretur esse debitum *in libris* eorum *Camera*, sive dominorum Cardinalium, per oblationem vel obligationem alicujus prædecessoris Monasterii vel ecclesiæ, ad quam assumitur vel transfertur.

Obligationis novũ genus.

Ex quo resultat periculum & maxima absurditas, propter *diversitatem librorum, in quibus diversimode possunt scribi solutiones*, vel non scribi, secundum diversitatem, vel *obligationem*, aut forte *malitiam officiariorum*, qui præsunt talibus, prout quandoque compertum est, Qvemadmodum

modum de hoc per *formas obligationum*, quas ſuper hoc habent in Cancellaria, & quas in talibus obſervant, quarum copia inferius ſcribitur, poterit conſtare plenius.

CAP. III.

Rationes XXIV. quod nulla in Annatis conſvetudo aut præſcriptio habeat locum.

ET *nullus talis modus inducit conſvetudinem, præſcriptionem*, nec *juſtam cauſam* talia exigendi vel etiam obſervandi: *Tum*, quia *gratuita* vel voluntaria *oblatio*, unius vel plurium *ſingularium, non inducit* conſvetudinem vel *obligationem, ad quam teneantur alii*, niſi velint. Cum hoc ſit per modum facultatis, quod *præſcribi non valet. Nec eſt jus continuum.* Quia reſpectu diverſorum & ſeparatorum corporum, oblatio & datio perfecta eſt: Quæ *per ſucceſſores continuata non eſt.* Et ſi continuata foret, nihil refert ad alios. Et quia etiam quam plures ex illis, qui obtulerant & debebant, ſeque ad ſolvendum obligaverant, poſtmodum *recuſaverunt* ſolvere, tanquam indebitum. Nec etiam ſolverunt. *Ratio 1.*

Tum, quia *nullo ſtatuto*, privilegio, conſvetudine, præſcriptione, aut alio titulo, *poteſt induci, quod propter conferre aut conſentire promotioni* aut electioni alicujus Monaſterii vel eccleſiæ cathedralis, ſive ut præficiatur adminiſtrationi Prælaturæ, Beneficii, ſive Eccleſiæ, *aliquid poſſit, vel debeat peti vel exigi.* Eo quod ſecundum Apoſtolicas & Canonicas traditiones, clariſſime foret *Simoniacum.* *Ratio 2.*

Tum, quia non petuntur, neque exiguntur hæ annatæ per Cameram Apoſtolicam & dominos Cardinales, ex eo quod vacant, ſed *quia conferunt*, ſeu quia collationi & promotioni, quæ fit per Papam, aſſentiunt. Et hoc eſt clare ſecundum canones *Simoniacum.* *Ratio 3.*

Tum, quia conſtat, quod propterea exigantur, *quia conferunt*, ſeu electioni vel promotioni conſentiunt, & non quia vacant, eo quod *ab illis, qui promoventur ad prælaturas hujusmodi extra Curiam*, & per alium quam per Papam, *nihil habent*, vel exigunt. Et conſtat etiam ex eo, quod *nihil percipiunt* in tali exactione, *niſi domini Cardinales qui actu ſunt præſentes*, & tamen de jure communi omnes Cardinales etiam abſentes participarent, ſi, quia vacant, deberentur vel exigerentur. *Ratio 4.*

Tum, quia talis *uſus vitioſus, inhoneſtus*, continens ſpeciem mali, & de jure prohibitus. Propterea nulla conſvetudo poteſt ſuper eo ſituari, & minus præſcriptio induci. *Violentantur* enim qui in Curia promoventur, *ad dandum & offerendum*, ſeque & Monaſterium ſive eccleſiam, ad quod ſive ad quam promoventur, obligandum, ad ſolvendum *taxam* ſive quotam, quæ refertur eis eſſe *in libris Cameræ*, cum minutis ſervitiis, & omne illud, & quidquid reperitur debitari per dationem vel obligationem conſimilem, factam Cameræ Apoſtolicæ, & Dominis Cardinalibus, ſuorum prædeceſſorum, per literarum promotionis ſuæ retentionem & detentionem. Et tales *modi* nunquam inducunt conſvetudinem, neq; præſcriptionem, cum ſint *violenti.* Et cum hoc reſultat *alia violentia.* Quia, quantumcumq; promoti, benedicti, vel *conſecrati*, & notum ſit Monaſteriis vel eccleſiis quibus præficiuntur, *ſine literis ejusmodi non poſſunt intrare poſſeſſionem*, propter conſtitutionem pœnalem, factam in favorem hujuſmodi indebitarum exactionum, quæ incipit *Injunctæ, Extravagant. Commun. lib. I. tit. 3. cap. unic.* *Ratio 5.*

Tum, Simoniacum vel *ſuſpectum de Simonia:* Quia petuntur fructus primi anni, & *ſolvitur in Curia realis pecunia* pro fructibus colligendis in partibus: Et quia *ſolvitur ante tempus:* Et quia quandoque ſolvitur totum Cameræ, & *ante adeptam poſſeſſionem.* Et nihilominus *Cardinales* taxam reqvirunt, & per retentionem literarum exigunt, re vel obligatione, quando poſſunt. *Ratio 6.*

Tum, quia ex præmiſſis infertur rationabilis *diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam*, quam Deus ſervare puritatem & juſtitiam, & ab omni ſpecie *Ratio 7.*

ſpecie mali abſtinere voluit. Reſultatque infectio & nullitas omnium & ſingulorum quæ fiunt in præmiſſis, datione, oblatione, obligatione, ſive contra obligantes fulminatione & ſubmiſſione, propter modum & cauſam, ex quibus fit concurrentia in actu, qui non tenet. Propterea, qui dicuntur incidere in ſententias, quæ ejusmodi occaſione feruntur, non debent eas tenere, nec timere, nec videntur abſolutione indigere. Propter enim prædictam concurrentiam, continent errorem intolerabilem, & quia ſunt contra jus conſtitutionis. Nam videntur hominem obligare ad incidendum in *hæreſim*, largo ſumto vocabulo, videlicet *quod ſit licitum ſpiritualia emere*, vel pro ſpiritualibus pecuniam & temporalia dare.

Ratio 8. *Tum*, quia talis conſvetudo, præſcriptio, ſeu privilegium, quando eſſent, *nimium* forent *eccleſiis*, *Clero & Provinciis oneroſa*, & ſubſtantiarum Eccleſiarum deſtructiva. Et propterea *de jure nulla* eſſet *præſcriptio*, quæ nullatenus procederet. Et *privilegium*, ſi quod appareret, non ſolum de jure decurtandum, ſed etiam totaliter ſubmovendũ, utroq; jure hoc teſtante clariſſime.

Ratio 9. *Tum*, quia *prælatus* quilibet, qui in Curia promovetur ad Monaſterium vel eccleſiam Cathedralem, antequam ſuæ expediantur literæ in Curia, *jurat* nihil de juribus Monaſterii vel eccleſiæ alienare. Et ipſis literis in Cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam regiſtratis, portantur ad Cancellariã, à qua haberi non poſſunt, niſi primo ſe obliget, ut præfertur. Qvæ *obligatio* eſt *alienatio* clara. Et ſic *promotus videtur cogi committere Simoniam*, & ſimul *perjurium*.

Ratio 10. *Tum*, quia non fuiſſet credendum, nec eſt, Cameram Apoſtolicam, ac Dominos Cardinales, aut qvoscunqve alios, *propter quodcunque lucrum*, ſive temporale commodum, velle ſuſtinere, aut etiam defendere tantam *inhoneſtatem*, *prætextu cujuscunque conſvetudinis*, præſcriptionis, aut privilegii, etiam quando eſſent, in quibus includuntur *labes Simoniæ*, & clarum *perjurium*, ſcandalumq́ve, & damnatio animarum.

Tum, quia adhuc, præmiſſis ceſſantibus, & ſuppoſito, quod *Annatæ* petitæ deberentur, *tollendæ* ſunt *ex toto*, cauſis & inconvenientibus ac *ſcandalis ſequentibus*. Ratio 11. Nam licet ſecundum Apoſtolicam doctrinam *Papæ poteſtas* à Chriſto immediate ſit, tamen eſt *ad eccleſiæ ædificationem, & non ad ipſius deſtructionem*. Qvæ tamen reſultaret in obſervatione prædictorum. Eſtque hujusmodi *poteſtas ordinata ad juſtitiam & rectum judicium exercendum*, quod non obligaret, & ceſſaret in exactionibus præmiſſis. Habetq́ve *præſidere propter bonum publicum*, & ſalutem animarum, & non propter ſeipſum. Aliàs videretur *abuſus*. Nec videtur *facultas Papæ* nec *eccleſiæ Romanæ* conceſſa, neque eis competit pro libito voluntatis, exactiones, ſive præſtationes aliquas imponere eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis. Cum eorum non ſit Dominus, ſed tantummodo Chriſtus. Maxime per quas cauſetur ipſarum oppreſſio, vel inde oriatur ſcandalum, deturq́ve cauſa murmurandi, vel etiam reſultet detrimentum animarum, aut fruſtretur ſive fraudetur intentio fundatorum eccleſiarum Cathedralium, Monaſteriorum, & aliorum inferiorum Beneficiorum.

Ratio 12. Tum, quia per *exactionem* prædictarum *Annatarum*, tam ardenter & inhoneſte exactarum, ſine Cleri, Principumq́ve, in quorum dominio ſunt, & eorum de genere, qui ea fundaverunt, expreſſo conſenſu, & levem *decimæ impoſitionem*, *ſequutæ ſunt oppreſſiones in Clero, & in eccleſiis*. Et inde murmurationes graves exortæ, & apud Regem, magnosq́ve Principes, & alios Nobiles, & illos de populo usqve ad plebejos, ſcandala. Qvia vident pati ruinas eccleſias Cathedrales, Monaſteria, aliaq́ve Beneficia, quæ ſui primogenitores & alii magnates fundaverunt, & uberanter dotaverunt, & largiti ſunt Ducatus, Comitatus, & alias dignitates temporales, Baronias, Caſtra, Terras, juriſdictionem, & alia temporalia bona, pro ſuſtentatione miniſtrantium in divinis, & ad divini cultus honorem, & augmentum, ſuorumq́ve peccaminum expiationem, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, eccleſiarum

ipſa-

ipſarum ædificationem & reparationem, terrarum, ac poſſeſſionum eccleſiarum, & monaſteriorum culturam, jurium ipſarum proſecutionem, conſervationem, & defenſionem. Qvæ omnia ceſſant, nec fieri poſſunt. Sed *numerum* in eccleſiis ſic fundatis *miniſtrantium*, juxta fundatorum ordinationem, *minuere oportet, propter dictas intolerabiles exactiones.*

Ratio 13. Tum, quia ſcandalizantur, & inde murmuratur, *cum recurrunt ad cauſas propter quas talia contigerunt:* Dicentes, non fuiſſe intentionem fundatorum, nec eorum exiſtere, quod propter tales exactiones, vel etiam ſimiles, vel propter *replere quadraginta aut etiam plures perſonas*, deberent fruſtrari intentionibus ſuis fundatores, & ipſi in hoc pati verecundiam, quod dotata per eos & largita tam exuberanter, deducantur ad ruinam, & patria reddatur infirmior, ad ſe defendendum contra hoſtes: Eo quod Caſtra & Munitiones nec retinere nec defendere poſſunt quibus collata ſunt. Et propterea id nolle pati omnino, dicunt. Cum *talia in nullo ſubdantur Papæ nec Cardinalibus*, ut fiant eis *tributaria*, cum ſint *feudalia*, aut *mere temporalia.*

Ratio 14. Tum, ſcandala & murmurationes inſurgunt, dum vident & ſentiunt *exigi ejusmodi vacantias & Præſtationes, ſine pietate & miſericordia, aut aliqua remiſſione*, quantumcunque impotentes. Et hoc notum fuit, ſicut contigit in Abbate Saturnini Tholoſani, compulſo obligari ad *taxam* ſibi relatam, quæ erat *quatuor millium & ducentorum florenorum*, & non valet annis omnibus, etiam vivendo ſupra locum, quingentos. Et tam ipſe quam plures alii compelluntur *per exactores deputatos*, usque ad impignorationem terrarum dotalium eccleſiæ, vel monaſterii, & usqve ad venditionem calicum, etiam non conflatorum, librorum & aliorum ornamentorum, & bonorum aliorum eccleſiæ, qvæ petuntur ſolvere.

Ratio 15. Tum, quia ſcandala & murmurationes inſurgunt, quod propter *hujusmodi exactionem*, *Prælati & alii miniſtri* reputantur per exactores *excommunicati.* Et per proceſſus ac literas, quas affigunt in locis publicis, eos denunciant, injuriantur, & verecundiam faciunt in diebus ſolennibus, nec coram aliis audent celebrare. Licet in veritate non teneant ſententiæ. Inde ſcandalizantur *Principes & alii de populo.* Et in tantum arctantur ad ſolvendum, quod *pro dilationibus* non dantur niſi *tres menſes.* Et *pro litera & ſigillo* relationis ſententiæ oportet ſolvere realiter tres vel qvatuor florenos cum dimidio. Si ſit *Simoniacum*, videat unusquisqve. Et ſunt in anno XX. floreni, ſine eo quod dare oportet Clericis, ad hujusmodi proſecutionem deputatis, & quod expendit nuncius in eundo & redeundo, nec per hoc principale minuitur.

Ratio 16. Tum, ſcandala ſunt exorta & non ceſſant propter exactiones prædictas ex eo, quod, poſtqvam eccleſia Romana continuavit tales exactiones, non ceſſavit à guerris. Et *major ſolicitudo Romani Pontificis, & ſuorum Cardinalium, usque ad Joannem incluſive* noviſſime depoſitum, fuit *de guerrarum continuatione*, in qua fit effuſio humani ſangvinis. Et licet etiam habeat temporale imperium, *non* tamen *cadunt honeſte talia in viris tam perfectis.* Et quia per humilitatem, ſanctimoniam, & devotionem, ſolebant jura eccleſiæ in eſſe conſervari, retineri, & acquiri, ſine artificiali gladio, aut alia violentia.

Ratio 17. Tum, quia propter tam promtam numerationem hujusmodi vacantiarum, & aliarum exactionum, Camera ac alii domini Cardinales *non curaverunt* neque ſoliciti fuerunt *de dote & patrimonio eccleſiæ romanæ*, de quo vivere poſſent & debent, neque de recolligendo tributa, penſiones, & debita, quæ rationabiliter eis deberentur. Sed ea per expreſſum remiſerunt, & remittunt. Prout fecerunt aliquibus communitatibus. Etiam moderni domini Cardinales, *centum millia* Florentinis cum quibusdam aliis, Regi Apuliæ tributa pro quindecim annis, & cuidam Marchioni, *remiſerunt.* Et ita fecerunt pluribus aliis, quibus conceſſerunt dari terras, & caſtra patrimonii eccleſiæ, de quorum fructibus vivere habent. Et videntur qvodammodo affectare occupationé dicti patrimonii, & non ſolutionem dictarum pen-

pensionum, & etiam tributorum: Ut sub illo colore possint dictas Vacantias, & alias exactiones exigere, ac per hoc collationem beneficiorum, & promotionem ad Prælaturas retinere, ut inde magis ab illis de Clero timeantur, & universalius revereantur, & etiam honorentur, sicut de facto observant.

Tum, scandala, propter præmissas & similes exactiones, & ipsum modum exigendi, *in Galliis* exorta sunt, eo, quod superstites de genere illorum, *qui ecclesias*, Monasteria, & alia Beneficia *dotaverunt*, audientes referri, *quod pro pecuniis beneficia habentur in Curia Romana*, & quod propterea ruinæ & præmissæ beneficiorum destructiones sequebantur, *querelam fecerunt fieri apud Regem Francorum*, eorum summum principem. In cujus *Parlamento*, & suo *Consistorio*, auditis quæ fuerunt proposita pro parte Cameræ Apostolicæ, & dominorum Cardinalium (quod bene sciunt aliqui ex iisdem) fuit clare & ad plenum solenniter apertum, & evidenter monstratum, quod *nullo jure deberentur*, & quod clara *Simonia in modo se habendi* includebatur, quæ plurimum erat sibi periculosa. Et ad ipsum spectabat, ut dicebant, in suo dominio *reprimere tales abusus*, & vitiosos excessus, ne consentiendo iram Dei provocare videretur in seipsum, juxta Gregorianam Epistolã, Theodorico & Theoberto Francorum regibus missam, in Decretorum volumine insertam. Fuitque clare demonstratum, quod ultra præmissa & multa alia inconvenientia, *per tales exactiones vacuabatur regnum & dominium* suum *pecuniis* & divitiis, quæ ad nullam pietatem applicabantur, sed postmodum malos & pessimos pariebant exitus & causabant effectus. Quodque *Romani pontifices*, pluries fuerant *moniti* & requisiti, ut in his tam scandalosis, & causantibus animarum damnationem, providerent, & canonicum ordinem darent: Quod facere neglexerunt. Certam igitur *provisionem* tunc super his rationabiliter edidit. Quæ per quoscunq; regnicolas & in dominiis suis domiciliatos, sub divina & regia offensa servanda est. Et, quando deberentur, propter tale scandalum tollendæ sunt.

Ratio 18.

Tum, quia nec dicta provisio totaliter suffecit, quin per *practicam Romanæ Curiæ* aliqua *pecuniis intervenientibus* in dominiis suis beneficia conferrentur, & resultaret, quod prius *per solennes* suos *Ambassiatores* (adjunctis nunciis notabilibus, pro parte Prælatorum & Cleri regni sui atque Universitatis Parisiensis) destinatos ad Romanam urbem, inter cætera domino *Joanni*, *tunc in sede Apostolica & Romana sedenti*, *proponi*, eumque requiri, exhortari & moneri fecit, *ut tales exactiones*, per quas tales abusus sequebantur, & perditio animarum, *submovere curaret* & providere non tardaret. Qui *verbo* respondit, hoc sibi placere *& totaliter submovere velle*, & super hoc onerare Legatum, quem destinaturus, ut dicebat, erat ad Franciam. Et, quia *nulla provisio secuta* est, licet juste potuisset ac posset, juxta dicti Gregorii Epistolam, & alias de jure, per seipsum providere, magis mite in favorem & honorem ecclesiæ volens in hoc se habere, distulit, & suis Ambassiatoribus, & aliis, pro prælatis atque Clero Regni sui & Delphinatus *destinatis ad præsens generale Concilium*, injunxit *hanc provisionem & remediationem prosequi*. Quam multipliciter conantur quidam impedire, plus curantes de *quæstu* quam de *animarum profectu*.

Ratio 19.

Tum, quia multiplicatum est scandalum & causa nova adjuncta, ex eo, quod *dominus Joannes* olim *Papa*, *novissime destitutus*, testificatur, & se publice facit audiri, quod *unum millionem & septingenta millia florenorum auri* habeat in diversis locis reposita. Et *Collegium* dominorum *Cardinalium ad medietatem summæ* tantundem præsumitur habuisse. Quorum forte major pars de Galliis processit. Quod principes, clerus, & populus attendentes, magis commoventur *ad exquirendum remedium*. Cum *dictæ pecuniæ nullum profectum fecerint*, sed plures arces & ecclesias macularint, & *causa fuerint destitutionis dicti Joannis*, atq; magni scandali. Fuit ergo talis exactio causa tollendi, *ne similia futuris temporibus eveniant* aut etiam contingant. Et si prædicta locum non habuissent, vel habere possent, sicut tamen habent, adhuc dictæ Annatæ & vacantiæ, & hujus-

Ratio 20.

juſmodi indebitæ exactiones ſunt tollendæ, & totaliter ſubmovendæ, quia *dant cauſam proximam Simoniæ* committendæ in Curia diverſimode, *infamantq; Curiam Romanam, & infinitorum malorum dant occaſionem*, & ſunt & fuerunt *cauſa, quod venderentur beneficia eccleſiaſtica*, Prælaturæ, & dignitates, & mercarentur. Sicut factum fuiſſe reperitur cum *domino olim Joanne Papa*. Quod quamvis *Simoniacum* non eſſet, ſicut eſt, tamen turpiſſimum, abominabile, & ſcandalorum valde eſt.

Tum, quia ſub prætextu & colore ſolvendi vacantias, ſecundum verum valorem & *taxam antiquam* prætenſam, *triplicatur*, & *quadruplicatur*, juxta verbum quorundam, dicentium, quod, ſicut offert juxta taxam, ita poteſt offerre & dare *totum valorem unius vel plurium annorum*. Et per hoc *promoventur ambitioſi*, & *male morigerati, illiterati*. Et *quibus deſunt alia virtutes, recurrunt ad pecunias. Repelluntur literati, viri virtuoſi, non habentes pecunias*. Et futurum eſt de proximo, quod ſi, ſicut factum eſt, ita continuaretur *in promotionibus* & beneficiorum diſtributionibus, *ſtudia efficerentur deſerta*, nullusque curaret ſcire, vel etiam ſtudere. Et poſſet inde pati fides & religio Chriſtiana, *propter defectum doctrinæ*, maximum detrimentum. Sunt etiam tollendæ & removendæ, quia juxta taxam Prælaturæ vacantis, *cui committitur inquiſitio* & proceſſus, mercatur & *vult limitare ſalarium*, quod aſſerit ſibi debitum ab illo, pro quo debet relationem facere, & in ſecuro vult habere antequam referat. Prout in hac venerabili natione Gallicana per *egregium Dominum Paulum Doctorem* alterius nationis conquerendo fuit notabiliter propoſitum: Et aliquantulum caſus unus apertus, videlicet, quod, quia tunc erat conventum cum Papa, aliquem debere ſolvere tria millia, qui relationem facere pro vacantia debebat, volebat habere trecentos. Quos oportebat detrahere de prædicta ſumma, eo quod promovendus nihil plus habebat. Et tunc Papa de ſuo proprio ſolvit quinquaginta, & centum procuravit pars propria. Et ſic pro quolibet milliario habuit quinquaginta. Si ſit *Simoniacum*, judicent audientes. Idem facit *Notarius*, qui ſcribit in proceſſu, *ſcutifer Papæ, & ſcutifer domini Cardinalis* referentis, qui de more mittuntur ad promotum, utplurimum ad intimandum ſuam promotionem. Qui ſua ſalaria dicunt eſſe limitanda ſecundum quantitatem Vacantiarum. Et idem *trium portarum oſtiarii*, & quam plures alii conſimiles, qui non exprimuntur de præſenti.

Ratio 21.

Tum, quia promotus in Curia propter tales angarias *cogitur eſſe paſſive uſurarius*, & intrare manus mercatorum, qui *pro quingentis* mutuatis volunt habere & *recuperare mille cum ſuo intereſſe*. Quod clare expertum eſt. Et adhuc cogitur fieri *Simonia* propter hujuſmodi maculatas exactiones, eo, quod oportet ſecundum limitationem taxæ, *pro* jure ſacræ vel *benedictionis munere realiter pecunias ſolvere*. Quod abhorrendum eſt.

Ratio 22.

Tum, quia etiam hujuſmodi vacantiarum inſurrexit quædam turpiſſima *venalitas*, eo quod, licet fuerit commiſſum pro aliquo notabili promovendo ad prælaturam vacantem, quantumcumque notabilis & ſufficiens fuerit, nihilominus pro omnibus aliis volentibus concurrere ſimiliter committetur: Et quandoq; eidem commiſſario, quandoque diverſis. Et *qui melius ſolvere vacantias poterit*, & *ſe commiſſario gratum reddere*, & apud campſores, qvibus pecuniæ ſunt numerandæ, de ſolvendo certos & cautos facere, ille *ſufficientior* eſt, & *præfertur alii*, ſecundum modum quandoque obſervatum. Et inde ſecuta ſunt ſcandala diverſa, ut taceamus illa.

Ratio 23.

Rurſusqve, qvia, cum propter retinere ſolutionem vacantiarum & aliarum exactionum hujusmodi, *decimæ* & *ſubſidia charitativa* qvandoqve inducantur, *venundatus eſt Clerus*, & *libertas eccleſiaſtica ſublata*, & totaliter remiſſa, & eſt data & *conceſſa Principibus* & communitatibus *participatio in hujusmodi exactionibus*, ne contradicerent, & nullatenus Clero aſſiſterent, & ut ex eo per brachium ſeculare poſſent facere exigi. Et ultra illa tributa, alia, & exactiones aliquibus conceſſa ſunt ſuper Clerum. Ita qvod in pleriſqve dominiis facti ſunt

Ratio 24.

Prælati, clerus, & qvicunqve religiosi, deterioris conditionis quam laici. Quod forte facere Papa non potuit, neque potest. Cum sit in subversionem & turbationem universalis status ecclesiastici, absolvere privilegia & libertates eorum, qui servare ea habent, ut in pace & quiete Deo valeant famulari, & iram Dei populo placare.

Præmissis igitur omnibus stantibus, dicere, eas debitas, & exigere posse, ut præfertur, & pertinaciter hoc tenere, esset forte *hæreticum*, & *periculosum* valde.

Ex *ipsis* igitur, & quibusdam *aliis* de præsenti non expressis, & ex causa, & resultantibus ex eis, & parte eorum, quæ sufficere ad hoc poterant & possunt, *Conclusit* rationabiliter & de jure hæc venerabilis *Natio*, & supposita ejusdem, matura deliberatione præhabita, dictas *Annatas sive Vacantias*, & quas appellant *Communia & minuta servitia*, de præsenti & de præterito, nec aliquo tempore, nec continuari, nec per modum tributi seu debiti imponi posse monasteriis, vel ecclesiis, aut beneficiis, seu personis ecclesiasticis: Et non esse debitas: Et, quatenus de facto, prætextu eorum quæ præterierunt, nullus conaretur eas exigere vel levare, totaliter esse tollendas, & resistendum.

Ex dictis rationibus facta Conclusio nationis Gallicanæ, Annatas nullo modo deberi.

Cap. IV.

Solvuntur longa serie argumenta XX. pro Annatis vindicandis in Concilio Constantiensi mota.

Modo *ad causas* & rationes, *quibus nititur justificare* & confirmare suam *appellationem interpositam*, præfatus *de Scribanis*, & qui eam composuerunt, & sibi adhærentes, restat respondere.

Objectio 1. In primis enim dicit idem *de Scribanis*: Fuisse deliberatum in Natione, procedendum esse in arduis *per secretum scrutinium*, & ita fuisse hic practicatum, &c. *Solutio.* *Respondetur: Quod in actibus particularibus*, de qvibus actum est quod per secretum scrutinium fieret deliberatio, *ita observatum* est. In aliis vero, in qvibus specialiter actum non est, neqvaquam. Qvia repugnat *honestati Concilii & plenariæ libertati.* Et qvando ita ordinatum fuisset, non esset substantiale formæ, nec decretum irritans in contrarium. Et quia *nationes singulæ deliberant apud se quæ videntur eis utilia vel necessaria*, sine aliorum convenientia. Sicut factum fuit de procedendo in causis præcedentibus, & committendis supervenientibus in Curia sede vacante. Qvod non est de jure. In quo deliberatum fuit, & etiam *conclusum in quibusdam nationibus*, antequam fuisset datum verbum in natione Gallicana. Qvæ quidem natio constringi non debet, nec plus ancillari cæteris Nationibus. Et ultra quandoqve fuit actum, *ut in actibus certis per secretum scrutinium deliberaretur.* In quo fuit solenniter & debite oppositum. Qvare superfluo fundat se & nulliter, præfatus *de Scribanis.*

Cum dicit ultra in ordine idem *de Scribanis* appellans: Qvod *materia in Nationibus deliberandæ, primo deferri* debent *ad deputatos quatuor nationum.* *Objectio 2.* *Respondetur: Ita factum fuisse*, ut dictum est. *Solutio.* Et qvando non esset factum, substantiale non est.

Cum dicit idem appellans: Esse *Papæ subveniendum ab inferioribus ecclesiis*, quas asserit descendisse à Roma &c. *Objectio 3.* *Respond.* *Solutio.* Qvod quilibet Episcopatus debet certos suos habere reditus pro donatione & sustentatione sua sive Episcopi. Sicut habet *Episcopus Romanus*, quæ sufficere, & sufficere possunt, cum industria, & alia, quæ extradinarie superveniunt. Nam *Apostolus ex industria quærebat sibi victum*, ne, quibus ministrabat esset nimium onerosus. Et si non sufficiant reditus Episcopi Romani de præsenti, primo habet *requirere subsidium à Clero suæ civitatis & Diœcesis*, deinde suæ provinciæ: Et per modum subsidii charitativi temporalis, & non perpetui census. Et post-

modum

modum ab aliis eccleſis immediate ſubditis poteſt ſubſidium benigne implorare. Qvæ, causâ neceſſariâ ſuppoſitâ expreſsâq́ve & verâ, honeſte non poſſunt denegare ad tempus. Nec tunc forte venit *exactio ſubventionis reſpectu datæ temporalitatis* pro fundatorum eccleſiis, ut certum onus ſupportetur, aut aliquid aliud fiat, ſecundum eorum ordinationem, ne fruſtrentur ordinatione & intentione eorum: Sed tantum *reſpectu eorũ, quæ proveniunt ratione ſpiritualitatis*, & dotis conſtitutæ à jure, ut ſunt decimæ, oblationes, portio canonica mortuariorum, & ſimilia. Qvod autem *eccleſiæ aliæ deſcenderint à Roma: Præceſſit Græca*, in qua primo ſedit Petrus Antiochiæ, & Jacobus Hieroſolymis. Et fuerunt aliqvæ quæ contendebant de pari. Et quæ præceſſerunt, ab ea non videntur deſcendiſſe. Veruntamen, ab omnibus recognoſcitur tanqvam ſuprema, domina, & magiſtra omnium, propter virtutes & merita eorum qui præfuerunt in ea. Cujus ultima non correſpondent primis.

Subjunxit poſtmodum præfatus appellans: Qvod *ſubveniendum eſt dominis Cardinalibus, qui adjutores ſunt Papæ, &c.* ſicut dicit. *Reſpondetur:* Qvod domini *Cadinales duplicem habent ſtatum. Primævum*; Cujus retinent titulum, & principales dignitates in collegiatis eccleſiis in Curia romana obtinent, vel ſunt Curati parochialium eccleſiarum ejusdem. Et illo reſpectu dicuntur *Cardinales*, id eſt *principales*. Qvod non competit eis ſpecialiter: ſed multæ ſunt eccleſiæ, ſicut Ravennatenſis, quæ obtinentes dignitates in ea nominant *Cardinales*. Et ita eſt in pluribus aliis eccleſiis, in diverſis regnis & provinciis. Et ex iſta præſenti inſtitutione *eorundem primum officium* fuit, & eſt, & eſſe debet, *confeſsiones audire, prædicare*, & etiam *baptizare*, &c. quoad *Presbyteros: Epiſcopi* vero *Cardinales*, hæc habent facere & exercere in ſuis Diœceſibus. Et iſti de ſuis titulis & eorum emolumentis iſto reſpectu debent & tenentur contentari, ſicut alii de Clero in ſingulis Diœceſibus. Et ſi non valeant, quantum valuerunt, *limitent expenſas*, vel petant ſibi provideri debere, & per modum canonicum. Et *ille ſtatus fuit in charitate fundatus*, & valde humilis & benignus.

Objectio 4.

Solutio.

Alium ſtatum aſſumpſerunt, quando Conſtantinus Imperium Occidentale contulit eccleſiæ romanæ, quam voluit habere Senatum, & quod Senatores veſtib', honore & ornatu decorarentur, qvi ſtatum illum repræſentarent. Et illum tenent, & repræſentant domini *Cardinales*, ut dicit Innocentius. Qvorum officium eſt, principi *conſulere*, ſcilicet *Papæ*, ſicut conſulebant Principi temporali. Sciens Conſtantinus Eccleſiam non poſſe onera talis ſtatus ſufferre, nec expenſas ſuſtinere, & qvod ſtatum eorum propter hoc nollet admittere, niſi aliter provideret, contulit & dedit eis *patrimonium & temporalia pro ſtatu eorum*. Qvod poſtmodum augmentatum. Et ſi illud occupatum fuerit, culpa & negligentia eorum factum eſt, ſicut ſupra dictum eſt. Ideo recuperent, vel ſint *contenti* eorum *primo ſtatu*. Cam ſtatus eorum ſit nimium eccleſiæ oneroſus, & non neceſſarius, ſicut prætendunt multi, maxime cum tanto eccleſiæ onere.

Quod enim domini Cardinales ſint Papæ coadjutores, ſicut dicit qui appellat, nihil eſt, ſuper falſo ſe fundat. Quia *Epiſcopi* ſunt *Papæ coadjutores*, & *ſupra Cardinales de jure*. *Cardinales* vero ſunt tantummodo *Papæ conſultores*. Et patet, quia dudum Cardinales, qui bene ſervierant, in eorum remunerationem, & pro quiete ipſorum, promovebantur ad cathedrales eccleſias. Patet etiam quod *majores* eſſe videantur *Cardinalibus*: Quia cum florebat temporalitas eis data, eccleſia & generale Concilium ſtatum eorum limitavit ad xxv. familiares tantum, Epiſcoporum vero ad xxx. Quos tamen contemnunt hodie, & per violentiam eos & alios de Clero opprimere conantur, atque volunt ſibi facere tributarios, & per eos faciunt vi familiariter ſervire. Nec pro quocunque Prælato, etiam prono adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum, ut ſalutarent eum. Quod nunquam aliquis Rex aut Princeps fecit, neque hodie permitteret: Cum *immediate*

mediate recipiant Episcopi potestatem & dignitatem à Christo, Domini vero Cardinales ab homine, quoad statum assumptum Senatorum. Dictum, & futurum est, atque necessarium in statu eorum providere, ut *certus* constituatur *numerus*, *statusq;* eorum *limitetur*, decernendo, quod *fierent tantummodo temporales*, sicut aliqui dixerunt, & in quolibet generali Concilio, qui bene se habuissent confirmarentur, qui vero male, eradicarentur, & in domos suas remitterentur.

Objectio 5. Cum ulterius subjungit appellans, quod Papa & Cardinales sint *in possessione percipiendi à Prælatis Annatas*, præsertim in dominio Regis Franciæ: *Respondetur*, prout supra, & ultra: Quod *nullus* unquam illis competiit *titulus percipiendi.* Et si aliquando perceperunt, hoc fuit per modum permissivæ facultatis, & benignæ tolerantiæ, quæ secundum Innocentium, & quoscunque doctores, potest revocari quandocunque. Et est mirum, literatos talia pro fundamento allegare, quod à cætero sufferre non intendunt. Quia quandocunq; esset eis aliter subveniendum, contribuendum esset æqualiter per nationes & provincias. Et talis provisio Annatarum nimium esset excessiva. Nam *taxa vacantiarum*, secundum quod descriptum est *in libris Cameræ Apostolicæ*, de ecclesiis cathedralibus, & Abbatiis Galliarum taxatis, ascendit ad *sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum*, sine Prælaturis, quas non taxant, & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ fere ad tantundem adscendunt. Quæ summa prima sex annos, velut clare demonstraretur, integraliter solvitur, & singulis annis divisa ascenderet ad ducenta millia, Prælaturis & aliis minoribus beneficiis injunctis. Quod si in singulis nationibus tantundem reciperetur, & haberetur, ascenderet summa, & esset in universo *sex milliones, nongenta septuaginta septem millia, & quingenti floreni.* Quod esset excessivum valde, etiam quando non solveretur, nisi tota in decennio. Et ultra domini *Cardinales moderni* obtinerent in Galliis sex Cathedrales ecclesias, & alias dignitates, ac alia beneficia, de quo deberent contentari, sine tanto *quæstu vacantiarum*, & recurrere ad alias nationes, ut tantundem eis facerent, quod esset rationabilius. Quando omnes, *Italica, Germanica, Hispanica*, & *Anglica nationes* tantum facerent eis, essent ad minus trecenta & quinquaginta, annis singulis. Detrahunt enim & obloqvuntur venerabili nationi Gallicanæ, quæ sola plus facit quam totum residuum, & sustinet pondus & æstus diei.

Solutio.

Quod autem *communia servitia*, sicut dixit appellans, deberentur *propter servitium*, quod *communitati & reipublicæ impendit Papa & Cardinales*, &c. *Respondetur*, quod *Papa* administrans justitiam & regnans ad ædificationem ecclesiæ & salutem animarum, & non propter seipsum, servit quam plurimum. Et tali serviendum esset etiam realiter. Quoad dominos *Cardinales*, si non debeatur eis nisi quia serviunt, quam plures ex eis de nihilo serviunt, imo nocent & officiunt, supersedendo ab expressione causarum, quæ suo tempore locum habere potuerunt. *Objectio 6.* *Solutio.*

Objectio 7. Quando ulterius subjungit appellans: Quod sine vacantiis vivere non possint, attento, quod patrimonium ecclesiæ propter schisma & malum regimen ecclesiæ Romanæ, & Præsidentium in ea, est occupatum, &c. *Allegat suam turpitudinem.* Et devorantibus substantiam suam non est dandus recursus ad alienas. Et qui præsederunt in Romana ecclesia fuerunt Cardinales, & de illo statu assumpti. Et eos, qui præfuerunt, elegerunt domini Cardinales, etiam qui sunt moderni. Et præsumuntur elegisse meliores, qui, (ut confitetur appellans & sibi adhærentes) totum destruxerunt. Imputent ergo sibi ipsis. *Solutio.*

Objectio 8. Et cum ulterius appellans dicit: Quod, si removerentur Vacantiæ, Cardinales reipublicæ servientes non haberent unde viverent: Et sic, eas non debere solvere, nimia levitate fuisse conclusum in natione Gallicana. *Respondetur*: Quod ex supra dictis potest apparere, si nimia levitate, vel *digesta delibera-* *Solutio.*

beratione, proceſſit *concluſio*, &, ſi nimia cupiditate conetur eam impedire.

Procedendo ulterius dicit idem appellans: Qvod procurantes fieri dictam conclusionem erant debitores Cameræ Apoſtolicæ: *Reſpondetur:* Qvod ſi debitores reputet propter vacantias, quas aſſerit debitas, patet per ſupradicta, non eſſe debitores, nec etiam debitas, nec eſſe ſolvendas. Si ex alia cauſa dicat eos debitores, juſtificet actum.

Objectio 9. *Solutio.*

Qvod ſede Apoſtolica vacante, ſicut dicit idem appellans, *nihil* ſit *innovandum* &c. *Reſpondetur:* Qvod nihil innovatur. Sed qvod eſt *vitioſum*, ſcandaloſumqve, & indebitum, *tale eſſe declaratur* & declarari petitur.

Objectio 10. *Solutio.*

Qvando ulterius progreditur idem appellans, oſtendens, qvod inconſultis aliis nationibus ad concluſionem natio Gallicana proceſſit &c. *Reſpondetur:* Qvod per medium *deputatorum aliarum nationum, quæ omnes conſenſerunt, quod de præterito tollendæ eſſent, conſultæ ſatis nationes* videntur. Et *quod ſuper illis natio Gallicana deliberaret omnes ſciverunt nationes, & etiam domini Cardinales.* Ultra deliberationem, motiva & concluſionem ſuam voluerunt communicare aliis nationibus, ad effectum concurrentiæ, & proviſionis dandæ. *Qvod domini Cardinales per exquiſita media impediverunt.* Et inter nationes non eſt quæ tantum fuerit gravata, ſicut Gallicana in iſtis exactionibus. Et propterea magis ſolicita eſſe debet.

Objectio 11. *Solutio.*

Et conſtat. Qvia *in Anglia* nihil percipit, niſi de Epiſcopatibus, qui ſunt pauci, Camera vel domini Cardinales. Nec paterentur, quod interea Cardinales obtinerent beneficia.

Et *in certis regnis Hiſpaniarum* ordinatum eſt, qvod Camera nihil totaliter recipiat.

In *Italia* vero, beneficia, Prælaturæ, & dignitates, modici ſunt valoris. Et cum hoc domini temporales & communitates prohibent, quando videtur eis atqve placet, quod dicta Camera nihil recipiat. Et noviſſime *communitas Florentina*, Papâ Joanne, qui tunc erat, & dominis Cardinalibus in eorum civitate exiſtentibus, propter unicum *abuſum, quem Papa commiſit* in conferendo unam Abbatiam ſitam in eorum dominio, privaverunt Papam poteſtate conferendi beneficia in eorum dominio, usqve ad qvinqve annos. Nec tunc appellaverunt. Et tamen per hoc perdunt fructus Annatarum.

In Alemania in certis Diœceſibus & provinciis percipit aliquid, in aliis vero nihil. Imo nec admittuntur literæ Apoſtolicæ, niſi quantum placet Epiſcopis, qui recuſant, in denegando *Vidimus.*

Et propterea *Gallia*, quia nimium grata fuit & obedivit, nimium gravata eſt, & adhuc opprobriis laceratur.

Qvando vero ſubjungit ſæpe dictus appellans, quod minis & terroribus, & certorum principum voluntatibus allegatis, fuerunt impediti, volentes deliberare &c. *Reſpondetur:* Qvod, ſicut dictum eſt, ad opprobria & injurias prorupit appellans ſibiqve adhærentes. Et appellationis compoſitio ad intelligendum. Et eſt falſum quod aſſerit. Sed domini *Cardinales* fuerunt illi qui *incutiebant terrores*, & inferebant minas, atque dicebant injurias Prælatis, & aliis notabilibus viris nationis Gallicanæ, & eorum familiaribus, cum nimia auſteritate, *ut libere non auderent quod conſcientia dictaret ſuper illis exprimere.* Et aliqvibus dixerunt, quod inqvireretur contra eos, ad finem deſtitutionis eorum ſtatus. Aliis dixerunt injurias, aliis vero ſpem dabant promotionis & exaltationis ſtatus. De qvo adhuc confidunt aliqvi. Et familiares ſuos venire faciebant ad nationem Gallicanam, ad vociferandum & clamandum, ſicut de facto fecerunt, *ad deliberationem impediendum.* Et ultra, videntes, non poſſe impedire deliberationem, qvæ fiebat, ad invicem congregati, omnes Protonotarios, auditores Palatii, ſcriptores, notarios, curſores, & qvoscunqve alios, etiam mechanicos romanam Curiam ſeqventes, convocaverunt, & ad ſe venire fecerunt, & cum gemitibus eis dixerunt, quod natio Gallicana per ſe ſola præſumebat deſtruere velle ſtatum *Papæ*, & *Cardinalium, Protonotariorumq́, Cameræ clericorum, Cameræ auditorum, plurium*

Objectio 12. *Solutio.*

scriptorum, *Notariorum*, *Advocatorum*, *Cursorum*, cæterorum qvorumcunqve romanam Curiam seqventium. Et ipsam romanam Curiam incitarunt, loqvendo, qvod oportebat se illis opponere, & ad contrarium laborare, & *conclusionem receptam de non solvendo vacantias*, facere per media, *ut non admittatur per alias nationes.* Et fuit dubium & etiam periculum de magna commotione contra natos de Gallis.

Nec talia attentaverunt quando Natio Anglicana & eorum Rex illustris interdixit, tales exactiones nollé plus sustinere in regno suo Angliæ.

Et videntes propter hoc non posse proficere: Qvia rationabile est quod petitur, & irrationabile est quod impedire conantur: Converterunt se ad *appellationes*, & *unam* interposuerunt nominibus suis, & *aliam* interponi fecerunt per dictum *de Scribanis*, *aliam* vero per *Magistrum Joannem Ponceti*, eorum Promotorem & Clericum: Per tales *appellationes & oppositiones* volentes impedire & illibertate dicentes vota sua. Et in prædicationibus publicis, materiam procuraverunt ad intentum eorum, & & per verba magistralia notaverunt non sibi propitium esse, quod bene fuit intentum. Qvare quod imponitur aliis, apud semetipsum & sibi adhærentes quærat appellans.

Objectio 13. Qvando enim subjunxit idem appellans, quod ad dictam quæstionem processum est, sine prius providendo dominis Cardinalibus: Et in hoc natio Gallicana, non sufficienter consulta, fore tollendas dictas Annatas & vacantias conclusit, &c. *Solutio.* *Respondetur*: Qvod quoad ipsam nationem satis late & ample provisum est dominis Cardinalibus de *Sexaginta ad septuaginta millia*, ut supra dictum est. Et consultissime conclusit. Et mirum est, quod tanto tempore toleravit.

Objectio 14. Cum ulterius dicit idem appellans, quod de laudabili *consvetudine*, protectio & *tuitio Romanæ Curiæ* Cameræ, sede Apostolica vacante, *ad Cardinales* spectat, *qui non fuerunt requisiti in dicta conclusione*, &c. *Solutio.* *Respondetur*, qvod bene facit allegare *consvetudinem pro titulo putativo.* Qvia de jure est eis interdictum, ne de factis Cameræ in aliquo se intromittant, Sede Apostolica vacante. Et si quæ sit consvetudo, occulta & totaliter ignota. Nec debuerunt vocari nec requiri. *Conclusio est Nationis*, qvoad Nationem, quæ respectu aliarum Nationum est *consultiva*, *& quoad totum Concilium est querelosa*, qvam *Concilio intendunt insinuare*, & apud ipsum prosequi, ut remedietur in eis, ut redeuntes ad propria, suis Principibus, Prælatis, & Clero, qui ibi remanent, & de cæteris de populo, possint referre diligentiam quam fecerunt, ne videantur consensum præbuisse, nec acqvievisse *tolerationi abusivæ* in prædictarum vacantiarum præstatione: Ut, *si concilium provisionem non dederit*, constet, quod per eos non steterit.

Objectio 15. Solutio. Progrediendo ulterius dicit idem appellans: Qvod domini Cardinales sint causa unionis, &c. *Respondetur*: Qvod utinam ita esset! Qvod de præterito non fecerunt, nec usqve nunc est factum. Qvid fiet, videbitur postea. Nec quoad hoc etiam præsumitur, quæ in facto consistunt etiam de præsenti.

Objectio 16. Solutio. Cum dicit ulterius ille idem appellans: Qvod removere vacantias est subversio totius ordinis Clericalis, &c. *Respondetur*: Qvod de *inordinato* & vitioso *ordine* vellet facere ordinem, ad ipsius commodum, nec curaret de nutrimento peccati, nec de quocunqve scandalo, *dummodo affluat aurum & pecunia.* Si debeat subverti ordo Clericalis propter tollere vacantias, potest videri ex præcedentibus.

Objectio 17. Solutio. Ulterius præfatus *de Scribanis* dicit, quod attestari Simoniam intervenire in solutione earum, est venire contra vota plurium conciliorum, &c. *Respondetur*: Qvod nunquam in aliquo generali concilio fuit ordinatum, quod qvis posset recipere pecunias, ut spiritualia aut beneficium conferat, vel aliquem eligat ad dignitates, & Prælaturas. Sed bene jure divino, canonico, & civili, & per generalia Concilia reperiuntur prohibita. Qvæ etiam damnant actum & consvetudinem.

Objectio 18. Qvando ulterius progreditur contra claram

tra claram rei veritatem & ipsius conscientiam, videlicet: Quod solutio istarum vacantiarum est *onus reale*, nec in hoc versatur aliqua obligatio personalis, cum per illam maneat officium obligatum, & non persona: *Respondetur*: Quod mirabiliter justificat actum ex istis appellationibus. Sicut supra dictum est, clarum est, quod literæ promotionis haberi non possint, donec obtulerit quod petitur ab eo, seq;, monasterium, & ecclesiam obligaverit. Nec alio exigitur modo, quin ista obligatio sit personalis. Aut jura omnia fallunt, aut est personalis. Nec potest esse realis, quia per obligationem, quam fecit de monasterio, vel ecclesia, non est hypotheca. Qvia dominus non est. Et quia non possidet tempore obligationis. Et quia non vergit in utilitatem ecclesiæ, vel monasterii. Et quia etiam turpi causa. Et quia sine consensu conventus vel Capituli. Et quia tempore fundationis non fuit tale impositum, nec post, per consensum illorum, qui consentire habent, & necessario. Aliter non potest esse reale. Et quando esset hypotheca, adhuc discuteretur primo persona quæ antea fuerat obligata. Qvod mutatâ personâ remaneat onus supra ecclesiam vel monasterium, quod dimittit, non est verum, nisi quantum per porrectionem dictarum literarum eum obligare faciunt ad solvendum, in quo obligatus reperitur fuisse Antecessor. Et sic possunt exigere ab utroque totum debitum quando volunt.

Solutio.

Et quod hoc sit verum, patet per *formam obligationis*, quam servant in talibus *in Camera Apostolica*, etiam domini Cardinales, quæ talis est.

Primo rubricat Forma obligationis Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi, aut Electi, quando in propria forma sequitur; Vos domine Patriarcha, Archiepiscope, Episcope, aut Electe, de licentia & auctoritate Apostolica, vobis in hac parte concessa, gratis & sponte offertis, dare promittitis & donatis, pro vestro communi servitio Cameræ sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini &c. ALEXANDRI PAPÆ V. & sacro collegio Reverendissimorum in Christo Patrum, dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, videlicet, &c. florenos auri de Camera, boni & legitimi ponderis, & quinq; servitia consueta, pro familiaribus & Officialibus domini nostri Papæ, & dominorum Cardinalium prædictorum. Item recognoscitis eisdem Cameræ & Collegio ac familiaribus, & officialibus, omnes illas pecuniarum quantitates, in quibus prædicta vestra ecclesia in libris ipsorum Cameræ & collegii, per aliquorum Prædecessorum vestrorum personas obligata est. Quos quidem florenos cum quinque servitiis & recognitis supradictis, promittitis reddere & solvere realiter cum effectu in Romana curia, ubicunque fuerit, videlicet reverendissimis in Christo Patribus & dominis, dominis miseratione divina Henrico Episcopo Sabinensi, & Amedeo sanctæ Mariæ novæ Diacono Neapolitanensi, & de Saluciis, vulgariter nuncupatis, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, & Francisco miseratione eadem Archiepiscopo Narbonensi, domini nostri Papæ & sacri collegii Cardinalium Camerario, vel eorum successoribus, vel deputatis ab eis, medietatem scilicet in festo, &c. & aliam medietatem in festo &c. Recognita vero in alio simili festo, &c. Quodsi debito loco & terminis dictam florenorum summam, & quinque servitia consueta, & recognita supradicta non solvatis, ut dictum est, promittatis redire ad Romanam Curiam infra quatuor menses, post elapsos terminos hujusmodi vel alterum eorundem immediate sequentem, & coram dictis dominis Camerariis seu eorum successoribus aut Deputatis ab eis, personaliter comparere, & inde non recedere donec per vos fuerit de prædictis integraliter satisfactum. Super hos obligatis vos vel ecclesiam vestram, & successores vestros, ac omnia bona ecclesiæ vestræ mobilia & immobilia, præsentia & futura, ubicunque sint & consistant. Et ut sitis vinculo fortioris obligationis adstricti, submittitis vos, & successores vestros jurisdictioni & coercitioni dictorum dominorum Camerariorum, & cujuslibet eorum in solidum, ac etiam successorum suorum & Deputandorum ab eis. Et de voluntate vestra, qui hoc vultis & petitis, & hanc jurisdictionem in eos porrigitis, præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum, eandem jurisdictionem in se suscipientes, & suscipiens in loco mandatum faciunt & præceptum, ut de re confessa-

ta de solvendo dictam florenorum summam, & quinque servitia ac recognita supradicta, de revenendo ad Romanam Curiam, & de non recedendo ab ea absque satisfactione, & quod omnia alia & singula supra dicta efficaciter compleatis & attendatis. Quod si non feceritis, suspensionem ab administratione spiritualium & temporalium dictæ ecclesiæ, & ab executione Pontificalium, & majoris excommunicationis sententias, ex nunc prout ex tunc in vos canonicâ monitione præmissa proferunt in his scriptis: comminantes nihilominus dicti Camerarii, & quilibet eorum, se contra vos, dictum dominum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum vel Electum, processuros, & processurum, absque alia vocatione seu monitione, ad graviores pœnas & sententias spirituales & & temporales, & aggravationes earum, prout eis seu eorum alteri placuerit seu visum fuerit expedire: Et quod vos denunciabunt, & denunciari facient per se, vel per alium, seu alios, excommunicatum, suspensum, perjurum, & aliis pœnis & sententiis astrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et vos, domine Patriarcha, Archiepiscope, Episcope, vel Electe, renunciatis super his omnibus literis, Privilegiis, Indulgentiis Apostolicis impetratis vel impetrandis, concessis vel concedendis quibuscunque, & beneficio appellationis, & restitutionis in integrum, ac omni foro, usui, præscriptioni, & juri revocandi donum, & omni auxilio juris canonici & civilis: per quod, contra præmissa de jure vel de facto venire posseris, vel aliquod præmissorum. Et omnia præmissa juratis ad sancta Dei evangelia tenere, servare, approbare, & in contrarium non venire, directe vel indirecte, per vos vel alium vel alios. Si vero ante satisfactionem hujusmodi vos contingat mori, cedere, vel transferri, & ille vel illi qui ad regimen ipsius ecclesiæ vobis substitutus, substituti fuerint infra quatuor menses, post substitutionem & dictæ ecclesiæ possessionem adeptam, de florenis & servitiis & recognitis satisfacere non curaverit seu curaverint, ex nunc prout ex tunc, easdem pœnas & sententias in eosdem substitutos, & eorum quemlibet infligunt & proferunt in his scriptis, prout dictum est & narratum, autoritate dictorum dominorum meorum Cardinalium, & nostra proferimus in his scriptis; & vos, dominum Patriarcham, Archi-Episcopum, Episcopum, vel electum, volentem, petentem, & requirentem, ad prædicta recitata condemnamus. Et nihilominus monemus vos semel, secundo, tertio, & peremtorie, ac sub excommunicatis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis, & observetis: Alioquin excommunicationis sententiam in vos proferimus in his scriptis. Et vos, domine Patriarcha, Archiepiscope, Episcope, vel Electe, vultis, quod per nos Clericos, vel Notarios Cameræ, qui fuimus hic præsentes, de præmissis omnibus & singulis fiant unum vel plura publica instrumenta.

Similes formæ pro eisdem, quando fit per Procuratores. Et ibidem de Abbatibus.

Et sic, per tenorem dictæ *obligationis*, constat, qvod non est reale, sed violentum, personale, sicut supra dictum est, eo quod per literarum retentionem ad hoc compelluntur. Et licet composuerint formam aptiori modo quo potuerant, ad justificandum & colorandum factum suum, veruntamen *reprobanda* est, *ut vitiosa valde.* Et propterea super his obligationibus nunquam voluerunt grossare instrumenrum, nec copiam obligationis dare. Peccant in quinque vel quatuor substantialibus secundum formam juris, quod per quemlibet intelligentem potest clare intueri. Nec etiam Cardinales, aut eorum prætensus Camerarius, unquam habuerunt jurisdictionem, nec habent potestatem ad hoc, quam prætendunt.

Cum dicit ulterius idem *de Scribanis* appellans: Qvod attentis conventionibus per Regem romanorum & Petrum de Luna factis videlicet, *nihil debet innovari*, cum per hoc posset impediri unio ecclesiæ, cum sit in vilipendium totius Christianitatis removere vacantias, &c. *Objectio 19.*

Respondetur: Quod removere causam quæ præstat & occasioonem dat peccati & damnationis animarum, per quam etiam parantur scandala & fiunt, per quam destruuntur ecclesiæ, & universaliter personæ ecclesiasticæ opprimuntur, & stant in errore, intentioque fundatorum ecclesiarum & beneficiorum fraudatur, & per quam opera pietatis impediuntur, & justitia læditur, est *Solutio.*

adorna-

adornare Christianitatem, & eam in devotione confovere. Nec per hoc fit innovatio, vel immutatio contra promissum vel conventum. Et quando hæc facta non essent, aut fierent, *Romanorum Rex illustrissimus* & omnes alii reges, & quicunqve Christiani, haberent *increpare totum generale concilium*, quod mora in hujusmodi data fuisset. Et ultra, quod citius venient qui obediunt Petro de Luna. De quo modica spes, quod voluntarie aliquid boni faciat. Et facilius propter hoc inclinabuntur ad recedendum ab ejus obedientia.

Subjungit: Qvod ex illis *appellabat ad sedem apostolicam, & summum Pontificem futurum*, & apostolos petit, &c. *Omittens concilium generale fraudulenter*, non dubium, quod deberet esse *judex competens in causa hujusmodi*, & quod *sedet de præsenti*, & ad illud potest haberi recursus faciliter. Et appellando ad Papam, tantum facit causa diffugii. *Nec Papa videretur judex competens*, eo quod sit pars formata, & ejus Camera Apostolica: Et consilio Cardinalium in hoc uteretur, qui affectum quem habent ostendunt. *Objectio 20. Solutio.*

Cap. V.

Contestatio Nationis Gallicanæ, de Annatis in & extra Concilium perpetuo per illam impugnandis.

IDeo ex præmissis & resultantibus ex eis, tam conjunctim quam divisim, neque *appellationem* dicti *de Scribanis*, neque *aliam interpositam* nomine dictorum dominorum *Cardinalium* & eorum Collegii, nec *aliam interpositam per magistrum Joannem Ponceti*, seu quoscunque alios, in materia hujusmodi & ipsius occasione, hæc *venerabilis natio Gallicana*, propter hoc *solenniter congregata*, matura deliberatione habita, non ducit admittendum: Nec eos admittit appellantes, nec eorum frivolis appellationibus vel alteri earum esse deferendum: Neqve defert.

Parata eadem *venerabilis natio*, & se offerens velle respondere plenius & singulariter singulis causis, ex quibus causantur & justificare nituntur dicti domini *Cardinales*, & dictus *Ponceti* appellans per eos, suis nominibus interpositis, quarum *copiam*, etiam facta debita diligentia, *habere non potuit*, quandocunqve dabitur ei, vel habere poterit: *Protestando* etiam de specificatione qvorundam aliorum hic non expressorum: Hanc *responsionem* eisdem *de Scribanis*, Procuratoriqve collegii dominorum Cardinalium, & ipsis dominis *Cardinalibus*, ac præfato *Ponceti*, singulariter singulis, ac quibuscunqve suis adhærentibus & adhærere eis volentibus, conjunctim & divisim, pro Apostolis, ad quos teneri posset, dans & eis faciens, & Præsidens ejusdem nationis de consensu & mandato totius nationis: Protestans eadem venerabilis *natio*, & *Præsidens*, *ac singula supposita ejus*, maxime & specialiter *destinati pro parte Prælatorum atq; Cleri Galliarum ad hoc generale Concilium*, *de prosequendo eorum receptam conclusionem apud præsens generale concilium*, & ubicunqve de jure debite poterit, & licebit, & de eadem referendo, intimandoq́ve, & scribendo Serenissimo Principi Francorum Regi, & germano suo Regi Siciliæ Ludovico nominato, illustri Duci Aquitaniæ primogenito regis Francorum illustrissimo, cæterisq́ve Ducibus & Comitibus & Baronibus Galliarum, Prælatis, ac illis de Clero, qui in partibus remanserunt, nobilibus, & illis de populo omnium Galliarum: Ad ipsorum excusationem & exonerationem, & *ad debitam provisionem consequendam*. &c.